



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

XXXIX. Rutgerus II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860

partes Paschalis arripuit, & per Italiam Imp. concomitatus est, plus illius, quam suis rebus intentus. Pulso *Alexandro* AD. MCLXVII. *Fridericus* occupat Romam. *Hermannus* verò noster à *Paschali* confirmatur cum magnis privilegiis, & facultatè Ordines minores dandi. (y) Phtisi conluntus anno Domini MCLXVIII. Prælaturæ III. moritur.

XXXVIII. BURCHARTUS.

XXXVIII.

Et hic Professor erat *Herofvltensis*, durus Pater, & miser, & valde infelix. Fratribus suis victum & amictum denegabat, *Hattenhusen*, *Cruzberg*, & *Hildervarteshusen Ludovico*, Landgravio Doringiæ, vendidit, & religionem pessundedit. Schismaticus tandem dolorolo morbo cruciatus, eodem annò Prælaturæ VIII. perit. Hoc tamen laudabile, quòd capellam *S. Stephani* construxerit. Bonam famam nactus est, teste epigraphæ. Moritur in *Wedderau*, Prælaturæ suæ VIII. AD. MCLXXXVI.

Burchartus.

XXXIX. RUTGERUS II.

XXXIX.

Erat Diaconus *Fuldensis*, modestæ vitæ & virtuosæ pietatis Pater. Licèt enim vix unum sederit annum, omnia tamen bene fecit, & ex usu Ecclesiæ. Xenodochium *Fuldæ* construxit, & liberaliter dotavit: imò adhuc unum condidit: campanas fieri fecit: anniversaria sacra multis censibus & decimis instituit: *B. Virginis* Monasterium, quoad disciplinam, reformavit, & quoad ruinosa ædificia pulcrè instauravit: bibliothecam valde auxit, & omnibus bene fecit. Comparaverat *B. Rabanus* primò bibliothecam Monasterii, & quidem tam feliciter, ut numerus librorum vix potuerit numerari: maximus certè in Germania thesaurus. Scribi aut describi iussit hic varia volumina pro auctario bibliothecæ. Quod si omnes observassent Archimandritæ ante & post eum, vix in toto orbe quid præclarior visum esset. Moritur asthma & tabe AD. MCLXXXVI. in die *S. Bonifacii*, Prælaturæ I., licèt alii putent, eum resignasse.

Rutger. II.

XL. CONRADUS II.

XL. Conrad. II.

Diaconus & Præpositus in Monasterio *S. Solz*, seu *Solhoven*, è familia *Malkosiana*, sequente anno electus unanimiter. Ab *Alexandro* Papa ad Concilium *Lateranense* Romam vocatur AD. MCLXXIX. ubi Presbyter ab Episcopo *Ostiensis*, & Abbas consecratur ab ipso Summo Pontifice Dominica *Judica*. In Italia etiam Regalia accepit ab Imperatore, cui magnam crucem de auro promiserat, sed, nolente Conventu, non potuit

(Nnn) 2

(y) Fabricius l. c. p. 43. & p. 126. minores Episcopatus habet, circa *Broyer*, L. I. A. F. c. 15. sed illic minora officia sacra habet, non Episcopatus.